

## DISSERTATIO II.

DE CENSURIS, QUAE PARISIS ET OXONII LATAE FERUNTUR ADVERSUS NONNULLA S. THOMAE THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA DOGMATA: DEQUE VINDICTIS ADORNATIS, AC CENSURAE PARIENSIS REVOCATIONE.

## CAPUT I.

*Thesium censura, per Episcopos Parisienses Guillelmum et Stephanum Tempier latae, confirmataeque a Roberto de Kildwardbi Archiepiscopo Cantuariensi in Anglia, recensentur. Nonnulla doctrinae a S. Thoma traditae Capita per easdem notari, audax et imperita quorundam opinio: praecipui Divi Thomae vindices, an etiam Aegidius de Columna. Specimen Operis quod inscribitur, Correctorium Corruptorii.*

I. Dum germana Divi Thomae Aquinatis Opera criticis Dissertationibus expendimus et vindicamus, dubia revocamus ad examen, rejicimusque supposita; non ita nobis angustus praefigi cancellos putavimus, ut si quae sunt audacium Censurum judicia in ipsam Thomae doctrinam, intacta praetermittere, inita nulla discussione, deberemus. Pugnavimus ergo in Dissertatione de Commentario « in Epistolas « Divi Pauli, » contra Erasmus, et Ricardum Simonium, qui nonnulla doctrinae ab Aquinate traditae capita nimium acerba et iniqua notarunt censura: pluresque Sacrae Scripturae Interpretes ac Bibliographos insequuti in ea sumus, quae de Commentariis « in Isaiam, et Jeremiam » inscribitur: methodum ab eodem Aquinate servatam in explanandis Veteris Testamenti prophetis atque typis, tutantes et vindicantes. Similes non paucas occasione data peractas vindicias aliae complectuntur Dissertationes. Adversarii succedunt, qui aperto Marte dogmata plura, quae Theologicis in Operibus suis tradit Thomas, traducere in invdiam conati sunt: adhibentque censuras quasdam Parisienses et Oxonienses, ac si aut errores per eas damnatos instauraverit Thomas, aut Thomae sententiae quasdam per easdem confixae fuerint. Piaculum foret, haec surda aure et immoto calamo praeterire.

Memoratas primo loco Censuras recensere eorumque auctores; ac tempora definitio, quibus ipsae latae sunt. Primus adest Guillelmus Parisiensis Episcopus, qui « anno Domini 1240, in Octava « Epiphaniae » ( die 15 Januarii ) « errores » quamplures « destabiles contra Catholicam veritatem, repertos in quibusdam Scriptis, » nigrotheta notavit damnavitque. Is est Guillelmus, hujus nominis « tertius » in Parisiensibus Tabulis, dictus « Arvernus. » Annus ille 1240, stylo vetere, numerandus, est stylo novo insequens 1241, ab Calendis Januariis inchoatus. Theses condemnatas referunt omnes Carolus Duplessis d'Argentré, Sorbonicus Doctor, et Episcopus Tutelensis, in Collectione Judiciorum de novis erroribus, Tomo I, pag. 186. Nimium sibi indulgebant lascivientia nonnullorum Academicorum ingenia, quorum licentia censurarum freno cohiberi debuit. De quodam errore per hanc censuram damnato, quem instauratum ab Aquinate putarunt olim adversarii, agendum in Dissertatione sequente.

Segetem errorum amplissimam, qui ab Academicis vulgabantur, haud satis amputaverat Guillelmus Parisiensis Antistes. Curas diligentiores adhibuit Stephanus Tempier, ejusdem Ecclesiae Episcopus, qui Romani Pontificis litteris admonitus permotusque, theses plurimas notavit, « novemdecim ac « ducentas » ab aliquibus numeratas, ab aliis, « duas et viginti supra ducentum, » quas ipse posterum Academicorum nemo traderet ac teneret: easdemque Oxoniensis in Anglia Academia, ac insuper plures alias, exulare jussit, Robertus de Kildwardbi, Archiepiscopus Cantuariensis, ex Ordine Praedicatorum adsumptus, sacra etiam purpura donatus.

Post initum confectumque examen, coram palamque vulgata demum est Censura Parisiensis, datis ab Stephano litteris « anno Domini 1276, « die Dominica, qua cantatur, » Laetare Jerusalem, « in Curia Parisiensis: » dataeque leguntur Roberti de Kildwardbi litterae « die Jovis proxima ante « Festum Sancti Cuthberti in Quadragesima anno « Domini 1276. » Litteras praedictas, erroneaeque damnatas, diligenti facta collatione cum manuscriptorum codicibus Sorbonicis, recenset loco citato laudatus Dargentraeus. Annum 1276 stylo vetere intellige computatum ab Incarnatione, vel a Pascae, qui civilis et Julianus, novo stylo, numerandus est 1277. Hoc anno, littera Dominicali C. insignito, incidit Sanctum Pascha die 28 Martii. Hinc die 7 ejusdem Martii, « Dominica Laetare, » Stephani Parisiensis censura vulgata est: et die 18 Martii, seu « die Jovis » post Dominicam in Passione, « proxima ante festum Sancti Cuthberti, » quod insequenti die celebratur, suam Oxonii tulit censuram Robertus Cantuariensis. Hinc etiam in prioris censurae Parisiensis epocha dissidium nullum in Codicibus, quorum alii apud Dargentraum notant annum 1276, alii 1277. Stylum veterem novumque animadvertit: ac antilogia evanescent omnis. Sed eadem Stephani censura perperam editis aliquibus in exemplis, quae referunt laudatum Carolus Duplessis, et Franciscus Sylvius in Oratione apologetica pro S. Thoma Aquinate habita Duaci anno 1624, die 7 Martii, lata legitur « anno » 1226 aut 1227. Aut enim altera cifra 2, pro 7, typo errante, substituta fuit: aut in anno Romanis numeris expresso 1226, littera 30 excidit: aut quicumque demum ex causa proderit, corrigendum mendam est. Quae libuit hoc loco diligentius adnotare, ut dogmatum Divi Thomae vindices elumbe noverint argumentum, quod ipse Sylvius alique promunt ex epocha illius anni 1226, aut 1227, quod Thomas Aquinas non modo nihil scriperat docueratque, quod Parisiensis et Oxonienses Doctores notarent; sed in hanc mundi lucem vix anno praedicto emissus ille fuerat.

II. Jamvero « circiter decimus ab Aquinatis « obitu labebatur annus ( aerae vulgaris 1284, « verba sunt Sylvi loco citato ), cum ecce lue-

« brationes ejus audaculus quispiam ad suum tribunum, tanquam censor, citavit: et insigni pariter « insecta et petulantia « correxit, » ut quidem ipse « loquebatur: librumque edidit, « Correctorium « Thomae » inscriptum: » censurasque memoratas, quas Guillelmus et Stephanus Parisienses tulerant, adhibebat, ut dogmata nonnulla ab Aquinate tradita pro damnatis habenda ostenderet. Is est Guillelmus « la Mare, » vel « de Mare, » vel « de la Mare, » Anglus natione, Doctor Oxoniensis; de quo Wadingus in Annalibus verba facit ad An. 1290, num. 18 ipsumque vocat « serium nimis « indagatorem eorum, quae objicere possent contra « S. Thomam. » Praecipua doctrinae capita, quae oppugnari posse, veluti praedictis Censuris jam notata, putavit ille, infra dabimus et vindicabimus.

In arenam pro Thoma contra Lamaraeum descendunt consodales plures, qui doctrinae praestantia aevo illo florebat. Memorant Laurentius Pignon, Leander Albertus, et alii insignes, ab Riccardo Knapvel, seu Clapocel, Anglo, Sacrae Theologiae Magistro Oxoniensi, elucubratum sub finem saeculi 13 opus, « contra Corruptorium Fratris Thomae de Aquino ». Nepe « Correctorium » ab Guillelmo Lamaraeo inscriptum, vocitari solebat « Corruptorium. » Similis argumenti opus, « contra Corruptorem Sancti Thomae, » Joanni Parisiensi, quem « secundum » hujus nominis appellant, ad antiquioris describimus, qui « Pungens asinum » cognominabatur, adjudicant veteres Nomenclatores. Anno Christi 1500 florebat ille. Liber prodiit Venetiis, qui « Correctorium Corruptorii Fratris Thomae » inscribitur, Typis Octaviani Scoti anno 1516 f. sub nomine « Fr. Aegidii de Columna Romani, » Ordinis Sancti Augustini, Archiepiscopi Bituricensis, anno 1516 denati. Operis initium est: « Quare detraxisis sermonibus veritatis, eum ex vobis nullus « sit, qui possit me arguere? » Job 6. Quaestio proposita optime in persona F. Thomae de Aquino « Doctoris eximii, cujus doctrina fulget Ecclesia, » proponi potest quibusdam, qui ejus doctrinam, « imo veritatem, quam docuit Parisius sermonibus « veritate plenam, et Spiritu veritatis instigante conscripsit, detrahentes depravare nituntur etc. » Venetam priorem aliam anni 1501 hujusmodi operis editionem memorat Guillelmus Cave; aliamque Coloniensem aevo sequiore, seu anno 1624 curavit Gualterus Strevesdorf Coloniensis Eremitarum Sancti Augustini Prior: ac recentior Neapolitana demum prostat anno 1644 accurata. Proderunt omnes sub ejusdem Aegidii de Columna nomine; suamque foedavit editionem Strevesdorffius interpolationibus, animadvertente Carolo Duplessis d'Argentré, « Sancti et Angelici Doctoris » adjecto cognomento, quoties Thomam nominari contingit contra fidem Codicum MSS. qui Sorbonensi in Bibliotheca adservantur, novumque titulum commentus est, scilicet « Defensorium seu Correctorium librorum Sancti Thomae « contra Guillelmum Lamaraensis Thomae mastygis « Corruptorium. »

Atqui vero plura ac solida proferunt argumenta Dargentraeus loco citato, et Echarodus tomo I Scripturum Ordinis Praedicatorum, pag. 305, quibus ab Aegidio idem opus abjudicatur, tribuendumque evincitur euidam Ordinis Praedicatorum alumno: an Richardo Clapocelo, an Joanni Parisiensi II incertum. Nilominus veteres recentisque praesto sunt Scriptores, qui paris argumenti lucubrationem

laudato Aegidio de Columna abjudicant. Dignum illud animadvertione: ab Joanne Pico Mirandulano in Apologia, quaest. 1 « de descensu Christi ad « inferos, » ipsum induci Aegidium, qui adnotet, de Parisiensibus articulis abs Stephano damnatis « nihil esse curandum, quia fuerunt facti, non con- « vocatis omnibus Doctoribus Parisiensibus, sed ad « requisitionem quorundam Capitulorum » ( sic nempe ibidem ). Quae verba, cum, Dargentraco teste, non reperiantur nec in « Sententiarum » libris, nec in « Quodlibetis » ab Aegidio elucubratis, nec in edito sub ejus nomine « Defensorio S. « Thomae », aliud opus indicare videntur, quod ipse pro Aquinate elucubraverit.

III. Manuscriptum praetermittere non licet « Correctorium » quoddam « Corruptorii » in Sorbonensi Bibliotheca adservatum, quod incipit: « Scien- « dum est igitur: 1 p. Summae, quaestione. 22, « quaerit S. Thomas etc. ». Durando de Aureliaco, qui vulgo « Durandellus » dicebatur, opus attribuit Echarodus: non illi, sed alteri Scriptori adjudicandum censet ac evincere videtur Dargentraeus. Ipsum consule Virum doctissimum. Simile opus praestat Codex Membranaceus in 4, in Veneta ss. Joannis et Pauli Bibliotheca, quem propriis oculis ac manibus, favente humanissime Dominico Berardello Bibliothecae praefecto, inspicere licuit, ac tractare. Primum in eo prostat « Littera, qua Ven. Epi- « scopus Fr. Petrus de Palude Ord. Praed. doctor « in utroque jure, et Magister in Theologia, ac Pa- « triarcha Jerosolymitanus, transmisit fratri Hugoni « de Balsa ( de Vauceman ) Magistro Ordinis prae- « fati, qui ab eodem consilium petebat per litteram: « si, quomodo, qualiter, et quando Fratres dieti « Ordinis possint redditus, et anniversaria habere « et retinere. » Sequuntur « Sermones » plures, qui « de Mortuis » inscribuntur. Tertio demum habeatur loco « Quaestiones Correctorii contra Cor- « ruptorium Fratris Thomae de Aquino Ordinis « Praedicatorum ». Opuscula sunt in unum quidem compacta Volumen, diversa tamen character: sequioris aetatis priora duo, ac remotioris utique postremum.

Incipit vero: « Circa Quaestionem XII ( primae « partis artic. 2 ), dicitur in principali responsione, « quod requiritur ad videndum Deum aliqua simili- « tudo Dei, seu lumen gloriae. » Desinit: « Et sic po- « test responderi ad ea, quae obijciuntur contra « Fr. Thomam in prima parte, et in prima se- « cundae: et sunt 43 contra primam partem, et « 10 contra primam secundae, et sic in universo « 33 instantia. » Natalis Alexander Dissertatione 6 in Historiam Eccl. saeculi XIII. et XIV. de Summa scriptisque ceteris S. Thomae Aquinatis, articulo 2, adnotat Guillelmum de la Mare « suo in libro, qua- « draginta novem Articulis ex prima parte Summae, « duodecim ex prima secundae, sexdecim ex Se- « cunda secundae reprehendisse. » An ergo man- « cum et imperfectum fuerit opus quod recensemus? An illas tantum, non alias vindicias egerit Auctor?

Ante quaestionum, quae in Opere pertractantur, elenchum, Nota legitur his verbis: « Nota, quod « ab Adam usque ad diluvium fuerunt anni 2242. « A diluvio usque ad Abraham anni fuerunt 1174. « Ab Abraham usque ad Moysen fuerunt anni 443. « A Moysen usque ad Christum fuerunt anni 1633. « A Christo usque modo ( Pascha fuit videlicet 7 « exeunte Martio ), 1285. Summa 6773. Usque in

« finem mundi incertum habemus numerum. » Primae et secundae aetatis, ab Adamo ad diluivium, ac inde ad Abrahamum, computantur anni juxta Chronologiam versionis graecae LXX. Summa totalis 6675, vitio laborat: singulae namque Summae accuratioris calculi collectae Summae efficiunt 6781. Annus aerae vulgaris 1283, incedebat insignitus Cyclo lunae 15, et Cyclo Solis 6, et littera Dominicali G: unde sacrum Pascha anno 1283 celebratum fuit « die 7 exeunte Martio, » seu die 25 ejusdem Mensis, Dominica, juxta computandi morem qui aevo illo obtinebat. Annum a Paschate ad Pascha numerabat Auctor aut Notarius stylo vetere: scriptusque Codex, aut completum opus innotescit post diem 25 Martii, ex qua initium sumebat annus 1283, stylo vetere. Hinc animadvertite aut Codices, aut certe Operis antiquitatem. Guillelmus de la Mare suum contra Thomam Aquinatem anno 1284 protulerat in lucem « Correctorium: » suasque anno insequente vindicias opposuit Auctor.

Verba illa, « die 7, exeunte Martio, » peculiarem indicant modum numerandi dies Mensis, qui post annum Christi Millesimum frequentissimus occurrit in Membris. Sed hunc atamen longe vetustiorum exhibet charta, ex Archivio Archiepiscopali Lucensi deprompta apud Doctissimum Muratorium in Antiquitatibus Italicis mediæ ævi Tomo III. Dissert. 57: « In nomine Domini nostri. Regnante Domino nostro Desiderio Rege, anno Regni ejus, Deo propitio, primo, quinto die intrante « Mense Novembrio, Indictione XI. feliciter » (anno Christi 737). Expositionem subjicere liceat Rolandini, Saeculi tertidecimi Scriptoris, quam apud Cangium, Mabillonium aliosque cum aliqua verborum diversitate descripiam lego. In Tractatu « Notularum » sive de arte Notariae, haec habet verba: « De publicationibus instrumentorum, » in Editione Augustae Taurinorum 1607, pag. 714: « Ponitur dies in Instrumentis diversimode. Uno modo secundum consuetudinem Bononiensem, ut in hoc exemplo: primo die Maji, (secundo die intrante « Majo ), et ita de singulis usque ad 16. Transactis « autem 16 (diebus), ponunt hanc dictionem: 13 die exeunte Majo (14 die exeunte Majo), et sic de singulis usque ad penultimum diem; ubi dicitur, penultimo die Maji; et similiter dicitur, « ultimo die Maji. Et ita de singulis Mensibus qui « habent 31 dies. In illis vero qui habent 30 dies, procedunt similiter usque ad 13, per hanc « dictionem, intrante; et finitis 13 diebus primis, descenditur per alios 13, cum hac dictione, « exeunte. Semper tamen in prima die cujuslibet « Mensis non ponitur, intrante; et in penultimo « non ponitur, exeunte. » Prima nempe pars Mensis ordine consueto dinumerabatur, sumpto initio a primo ejusdem die: pars altera, principio sumpto, non a Calendis aut primo die succedentis Mensis, ut apud Romanos; sed ab ultimo Mensis die, ordine retrogrado. Hinc vero « die 7 exeunte Martio » est dies 25 ejusdem Mensis.

Operae dispendium non erit, elenchum « Quæstionum » describere, quae in Opere quo de agimus, vocantur ad examen; ut Philosophicae ac Theologicae ab Aquinate propugnata dogmata innotescant, quae censura notari posse putabant veteres Censores. Elenchus incipit: « Isti sunt tituli quæstionum Correctorii contra Corruptorium. »

- « 1. Utrum ad videndum Deum requiratur aliqua similitudo Dei.
- « 2. Utrum intellectus noster cognoscat singularia.
- « 3. Utrum scientia Dei dici possit futurorum contingentium.
- « 4. Utrum omnia quae Deus nascit, sint idem in Deo.
- « 5. Utrum universum possit esse melius, quibusdam suppositis.
- « 6. Utrum mundum incepisse sit de articulis fidei.
- « 7. Utrum in rebus incorruptibilibus sit solum unum individuum in una specie.
- « 8. Utrum sit possibile esse aliam terram quam istam.
- « 9. Utrum Angelus sit compositus ex materia et forma.
- « 10. Utrum sit possibile, esse duos Angelos unius speciei.
- « 11. Utrum et quomodo genus et differentia accipiuntur in rebus materialibus.
- « 12. Utrum multiplicatio secundum numerum intendatur ab agente.
- « 13. Utrum sit possibile, esse duos Angelos unius speciei.
- « 14. Utrum Angelus possit transire ab extremo ad extremum, non pertransito medio.
- « 15. Utrum sit impossibile, quod aliquid in toto tempore praecedenti quiescat in uno termino, postea in uno instanti illius temporis sit in alio termino.
- « 16. Utrum omnes species per quas Angeli intelligunt, sint omnes universales.
- « 17. Utrum Angelus possit intelligere per species abstractas.
- « 18. Utrum quanto Angelus est superior, per pauciores, et universales species intelligat.
- « 19. Utrum secundum gradus naturalium data sint Angelis dona gratiarum.
- « 20. Utrum Angeli mereantur praemium accidentale.
- « 21. Utrum fuerit aliqua mora inter creationem Angeli et lapsum ejus.
- « 22. Utrum vis appetitiva in omnibus proportionetur apprehensivae.
- « 23. Utrum apprehensio Angeli differat ab apprehensione hominis.
- « 24. Utrum aliquis locus sit poenalis Angelo vel animae.
- « 25. Utrum infirmitas materiae tempore praecedat ejus formationem.
- « 26. Utrum anima sit composita ex materia et forma.
- « 27. Utrum Angelus et anima sint unius speciei.
- « 28. Utrum anima possit habere sub se multa individua.
- « 29. Utrum in homine sit una forma substantialis.
- « 30. Utrum aliqua dispositiones accidentales praecedant formam in materia.
- « 31. Utrum memoria sit in parte intellectiva, vel spirituali tantum.
- « 32. Utrum intellectus sit eminentior quam voluntas.
- « 33. Utrum quanto corpus est melius dispositum, tanto recipiat meliorem formam.
- « 34. Utrum anima separata intelligat per species innatas, vel abstractas, vel influxas.

## CAPUT II.

*De peculiari Thesium apud censuram, quam tulit Robertus de Kildwardbi, confirmavitque et auxit Joannes Pekamus in Sedem Cantuariensem suffectus. Recentes alii doctrinae ab Aquinate traditae Censores, ejusque vindicias. Animadversiones generales in Censuram Stephani Tempier Antistitis Parisiensis judicium.*

1. Praeter « articulos, » vulgo « Parisienses » dictos, quamplures alii, qui triginta et unus numerantur, damnati prostant in Oxoniensis censura, nomine Roberti de Kildwardbi Archiepiscopi Cantuariensis lata, ad « Grammaticam, » ad « Logicam, » ad « Philosophiam » spectantes. Theses aliquae Divi Thomae notatae videbantur; quae nempe ad « unam « substantialem in homine formam » adstruendam pertinent. Kildwardbio in eandem sedem Cantuariensem anno 1279, suffectus est Joannes Pekamus Ordinis Minorum, qui latam a Praecessore censuram confirmavit anno 1284. Hanc refert laudatus Dargentraeus Tomo I. citato pag. 254; in eaque, paulo commutatis verbis, triginta recensentur articuli. Pekamum olim aemulum fuisse Thomae Aquinatis. Lutetiae Parisiorum secunda vice scholam regentis, contraque ipsum in publicis dispensationibus oblectantem, narrat Bartholomaeus Logotheta Regni Siciliae in processu Canonizationis apud Bollandi Continuatores Capite 9, num. 77: Verba ejus sunt: « Item dixit idem testis (Logotheta) se audivisse a pluribus Patribus Praedicatoribus fide dignis; quod quando idem Frater Thomas una vice disputabat Parisi, ubi erat Frater Joannes « de Pizano (de Pekamo) ordinis Fratrum Minorum qui fuit postea Archiepiscopus Cantuariensis; quantumque dictus Frater Joannes exasperaret eundem Fratrem Thomam verbis ampulosis et tumidis, nunquam tamen ipse Frater « Thomas restrinxit verbum humilitatis; sed semper eum dolebat et humanitate respondit. » Laudati Bollandiani in Notis ex Wadingo habent, adservari Oxonii in Collegio Mettonensi « Manuscriptas disceptationes » Thomae, et Pekami.

Latam vulgatamque a Kildwardbio censuram, et a Pekamo confirmatam, aegre tulerunt Nostrates consodales, alique Doctores, Guillelmus de Morbecka, qui libros Aristotelis, postulante et urgente Thoma, de graeco in latinum verterat, Archiepiscopus Corinthiis datus ab Innocentio V. vel a Joanne XX dicto XXI, aeres litteras dedit Kildwardbio, de suae levitate censurae ipsum admonens, ejusdemque sanioris declarationem serio postulans. Repetitam a Cantuariensi Archiepiscopo « epistolam » ad Archiepiscopum Corinthi de Articulis condemnatis in Anglia praestant Codices MSS. Anglicanus alter, et alter Florentinus apud Eucharium, cum sequente inscriptione: « F. Roberti Cantuariensis ad Archiepiscopum Corinthi declaratio « falsitatis quorundam articulorum Oxoniae condemnatorum. » Ab Florentinis consodalibus irrito voto perquisivimus, num hoc scripto praconceptam sententiam signaret Robertus, an palinodiam caneret. Hac de re Guillelmus Ochamus in Dialogis I P., lib. 2, cap. 24, sic habet: « Magister . . . De primo (Kildwardbio) diversis « modis dicitur a diversis. Dicunt enim quidam, « quod damnatio sua temeraria existebat, eo quod

- « 35. Utrum anima separata seipsam per seipsam intelligat.
- « 36. Utrum anima separata intelligat per influxum specierum a divino lumine.
- « 37. Utrum praemium essentialiter respondeat quantitati caritatis, et non quantitati operationis.
- « 38. Utrum aliquid redigatur omnino in nihilum.
- « 39. Utrum superiores quidquam a Deo recipiunt, impertiantur inferioribus.
- « 40. Utrum distantia localis faciat impedimentum in locutione Angeli.
- « 41. Utrum omnes Angeli sint inaequales.
- « 42. Utrum Angeli, qui sunt . . . duorum ordinum, magis . . . quam unus eorum cum aliis sui ordinis.
- « 43. Utrum ens per accidens habeat causam.
- « 44. Utrum omnes humani intellectus sint unius gradus in ordine naturae.
- « 45. Utrum quaelibet additio ad formam corporalem variet speciem.

*Contra Primam secundae Partis instantia.*

- « 46. Quae requirantur ad beatitudinem, et quomodo.
  - « 47. Utrum in anima humana remaneat esse compositi per destructionem corporis.
  - « 48. Utrum resumpto corpore, beatitudo crescat intensive, vel extensive.
  - « 49. Utrum homo sit dominus sui actus.
  - « 50. Utrum homo per rationem determinet se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum.
  - « 51. Utrum imperare sit actus rationis, praesupposito actu voluntatis.
  - « 52. Utrum primum movens in viribus animae ad exercitium actus, sit voluntas.
  - « 53. Utrum voluntas sit subiectum libertatis, et ratio sit causa.
  - « 54. Utrum ratio sit principium mali actus.
  - « 55. Utrum Matrimonium fuerit in veteri lege Sacramentum conjunctionis Christi et Ecclesiae. »
- Constitutus ab Angelico Praeceptore in ejusmodi « Quæstionum » examine « Conclusiones, » quae ad utramque, Revelatam, et Naturalem, Theologiam pertinent, atque Ontologiam, vellicare et refellere nisus est Guillelmus Lamarcaeus. Vindicias pro Aquinatis doctrina strenui laudati Viri egerunt, egitque Auctor Anonymus, quem illustramus. Ea servata methodus est, ut primo loco Adversarii, ut vocat, « calumnias » diligentissime referat; tum Aquinatis « theses » in invicem traductas germano sensu exponat, luculentioribus ex Operibus ejus in medium productis testimoniis; ac demum « objectiones » refellat, longaeque disceptatione ostendat damnatas Parisiis et Oxonii propositiones, quae Thomae doctrinam exhibere imperite dicebantur. Specimen « Operis, » quod exhibeo, Vindiciarum specimen praestat, quas Viri doctissimi pro virili egerunt contra Lamarcaeam.

« veritates, ut dicunt, condemnavit. Unde et quidam alius Archiepiscopus (Corinthi) ipsum de « diata damnatione acriter reprehendit; scribens ei « epistolam, in qua manifeste asseruit, quod veritates damnaverat. » Neque solum nostrae gentis hominum hooce iudicium erat; sed et « plures alii « ipsam » (censuram) « fuisse temerariam putarunt » (laudati Okami verba sunt). « Plures enim Parisienses Doctores et Scholares assertiones damnatas a dicto Archiepiscopo publicae tenuerunt. »

Adversarios Pekamus non paucos, nostrates et exteros, nactus est, quos inter eminuit Ricardus Clapuel Ordinis Praedicatorum, quem addietissimum Thomae, ejusque doctrinae nobilem vindicem contra Guillelmum de Lamare superius laudavimus. Articulos octo, quos ipse, pro Thoma vindicias agens, palam e suggestu docuit, veluti totidem errores ad haereses, ad Pekami Archiepiscopi tribunal detulerunt aemuli. Coetum Magistrorum « Londini in Ecclesiae Beatae Mariae de Arebus » coegit ille « anno 1286, indictione 14, ultimo die Mensis « Aprilis; » praedictosque articulos, tamquam « haereses reses declaravit, et pronuntiavit esse damnatos. » Spelmanum consule inter Concilia Orbis Britannici, et Labbaeum in Collectione Conciliorum. Dargentraci animadversionem addere hoc loco praestat: « Manifestum est, inquietis, in octavo Articulo sententiam S. Thomae de una substantiali « forma hominis, qui animus sit ad informandum « corpus destinatus, enunciari; quae quidem temere improbat a Pekamo. Reliqui autem articuli, partim consecrari sunt hujus propositionis, « (qui nempe differentiam enuntiant inter hominis corpus vivum et mortuum); partim falso « impositi (cujusmodi sunt, in quibus eadem absolute ac universim differentia statuitur inter « vivum Christi corpus et mortuum). Quare hoc « iudicium Joannis Pekem, cui Oxonienses Magistri, tum Ordinis Fratrum Praedicatorum, tum « aliarum Familiarum, palam contradixerunt, nullam obtinuit auctoritatem. » Ampliora dabimus sequente in Dissertatione.

II. Veterem hanc adversus Thomae dogmata enfantem aeo sequiore instaurarunt Censores alii: « Prodiit siquidem (inquietabat Sylvius loco citato) « anno superiore (1625), liber Apologeticus pro « Scoto, Scoticque vindice; in quo hujus Beati « (Thomae) doctrina mirifice sugillatur et traducitur; quasi vero non potuerit Auctor Scotum « extollere vel defendere, nisi Thomam deprimeret. » Hostem pro meritis castigat idem Sylvius in Oratione Apologetica Duaci anno insequente 1624 habita. Ad haec tempora spectat « Fr. Deremii Thadaei Nitela Franciscanae Religionis, » quae « Lugduni » prodiit anno 1227, 4.

« Necessit Petrus de Alva et Astorga, qui pluribus editis Opusculis acerrimam pugnam movit; illudque recensere hoc loco satis fuerit, quod inscribitur, « Nodus indissolubilis de conceptu mentis et « ventris, typis editum Bruxellis anno 1662 apud Philippum Uleugart. Pugnam egregie sustinuerunt pro Aquinate Franciscus Janssens Elinga, Vincentius Baron, Bernardus Guyard, Seraphinus Piccinardus, alique. Festivum denique non praetermittendum commentum, quod Joannes Baptista Poza excogitavit in « Elucidario Deiparae, » ejusdemque operis Apologus. Notam inurit ille nullam Aquinati, do-

gmatusque ejus, quae vel ore dietavit vel calamo scripsit; at in ejusdem tamen Opera plurimas contendit irrepensitates, vel prelo errante, vel amanuensium oscitantia, vel interpolatricis manus fraude, quae aut « falsa » dici debeant, aut « erroneae ac « damnata ab Ecclesia » aut « aliena a communi « Doctrina sensu. » Edita ab hoc Auctore Opuscula nemo nescit proscripta fuisse a Romana Sancti Officii Congregatione, et inquisitione Hispanica; pluresque jam prostant a Doctissimis Viris adornatae vindiciae.

III. Ad censuram Parisiensem redit sermo a Stephano Tempier Episcopo latam, ex qua validissima in Aquinatis doctrinam deprimi arma posse, putavit olim Guillelmus de la Mare, putarunt alii, qui aeo sequiore insurrexerunt hostes. Vindiciae, quas adornare libet, ut modum habeant ac ordinem, generales quaedam praemittendae sunt in eadem Censuram animadversiones, ut quanam illa fuerit, qua polleat auctoritate, quoque in pretio habita sit, splendide immotescat.

Ac primo totius Universitatis Parisiensis iudicium perperam ac falso appellatur. Id evincit Dargentracus ex ipsis litteris, quas dedit Stephanus Tempier, quae unum ipsum Antisitem, ac alios nonnullos in Facultate Theologica Magistros exhibent censurae auctores. In litteris apud Bulaeum vulgatis haec habent. « Nos tam Praelatorum quam « Doctorum Sacrae paginae, et aliorum prudentum « virorum consilio. » Quae paulo aliter effertur verba in Mss. Sorbonico Codice: « Nos tam Doctorum sacrae Scripturae, quam aliorum communi « cato consilio. »

Articulus porro occurrit nullus, qui veluti a Thoma traditus notetur, damnaturque. Equidem in Stephani litteris num. 8, et in collectione errorum in Anglia et Parisiis proscriptorum, Capite 7, num. 17, quibusdam in editionibus thesis legitur his concepta verbis: « Quod quia intelligentiae non habent materiam, Deus non potest plures ejusdem « speciei facere: contra Fr. Thomae. » Verum enimvero, diligentissima collatione facta cum « tribus Codicibus Manuscriptis Sorbonae, » postrema desiderari illa verba testatur Dargentracus: eisdemque omissis, referunt eundem articulum, et expendunt Henricus de Gandavo Quodlib. II, qu. 8, et Quodlib. XI, qu. 1; et Aegidius Romanus Quodlib. VII, qu. 2. Hinc invidiosum illud additamentum aemulorum fraude et malo dolo irrepit.

Ipsae Stephanus, auctor Censurae, cum in Praefatione generali quadam indiecti notione eos qui damnatos articulos traderunt, Thomam etiam Aquinatem accensendum verbo nullo, indicio nullo significat. Ait enim: « Magnorum et gravium personarum crebra, zeloque fidei accensa relatio insinuavit; quod nonnulli Parisius studentes in articulis, propriae facultatis limites excedentes, quosdam manifestos et execrabiles errores, imo potius vanitates et insanias falsas, in rotulo, seu cedulis, praesentibus his annexo, sive annexis, contentos, quasi dubitabiles in Scholis tractare et disputare praesumunt. » An inter eos locum habuerit Aquinas, qui « artibus » operam dabant in Academia Parisiensis, ac « studentes » erant? An ex illis fuerit, qui « propriae facultatis » (neque enim aut Magistri, aut candidati Theologiae erant) « limites » excederent? « Scioli quidam indicantur, petulantisque « artium studentes, » qui ut ingenii ac-

men ostenderent, propositiones tuendas adsumebant aut vanas et insanas, aut execrabiles et erroneas: dictaque Magistrorum nonnulla, quae per sese innocua erant, pravo sensu intellecta vulgabant.

Codicem Sorbonicum affert Dargentracus in cuius calce haec habentur adnotata: « Principalis auctor istorum articulorum fuit quidam Clericus « Bettus (vel Becus) appellatus. » Nempe suspicatur laudatus doctissimus Auctor, intelligendum esse « Joannem Breseinum, seu de Bresein, » sophistem quendam impudentem, Peripateticae Philosophiae et Arabum interpretum commentis nimium addictum, ipsosque eorum errores in Scholis Parisiensibus vulgantem. Damnaverat ipsum anno 1247, expuleratque academia Odo Tusulanus Episcopus, Apostolicae Sedis legatus. Latam ab eo sententiam lege apud Dargentracum Tomo I. citato. Paris indolis audacis, petulantisque ingenii fuerant, qui articulos damnatos proceuderant.

At floruit demum in Parisiensi Universitate, sive eum primo ad scientias addiscendas Lutetiam veniret Aquinas, sive cum in eadem gradus percurreret traderetque sacras litteras, sive cum altera vice ab anno 1269 ad annum 1271, scholam regeret, et probitatis et sanae doctrinae opinione; ut in ejus dogmata nonnulla, aut philosophica aut theologica, ferre censuram Doctores voluisse, nemo facile credit. Splendidissimum suppeditant argumentum totius praestantissimae Universitatis litterae, quibus obitum ejus indoluit ipsa, missae ad Comitum Generalia anno 1274, celebratae Lugduni ad Pentecostem, die 20 Maji. Servantur illae in MS. Codice Ludovici Valloletani, ex quo depremtas in publicam lucem edidit Egassius Bulaeus Tomo III. Historiae Universitatis Parisiensis: eisdemque legere est apud Stephanum de Sampaio in Stemmate Praedicatorum, et Franciscum Sylvium in laudata apologetica Oratione, et Casimirum Oudinum in dissertatione de Scriptis Divi Thomae Capite 26. Digna sunt animadversione quae sequuntur: « Cum eum « (Fratrem Thomam de Aquino) a nostro Collegio, Generali Capitulo vestro Florentiae celebrato » (anno 1272, die 12 Junii) « licet « requisissemus instanter, prohi dolor! non potuimus obtinere » (utpote Neapolim a Carolo Rege accessitum ad regendam Theologiae Scholam). Sui nempe desiderium, cum altera vice Parisiis professus esset Aquinas, reliquerat Universitati. Hinc ejus nomine litterae memoratae, quae perierunt, datae fuere, quibus Thomam sibi reddi, et Parisios remitti Doctorum Universitas postulabat. Haec rursum profero verba: « Ipsius demeriti ossa a vobis « humiliter pro maximo munere postulam. Quoniam enim omnino est indecens et indignum ut altera « natio aut locus, quam omnium studiorum nobilissima Parisiensis Civitas, quae ipsum diu educavit, nutrit et fovit, et postmodum ab eodem « doctrinae documenta et ineffabilia fomenta suscepit, ossa inhumata habeat et sepulta. » Laetabundam gratulationem animadvertit de Thomae doctrina accepta. Luculentiora sunt, quae scribere pergunt: « Humiliter supplicamus, ut cum quaedam « scripta, ad Philosophiam pertinentia et spectantia, Parisius inchoata ab eo, in suo recessu reliquerit imperfecta . . . nobis benevolentia vestra communicari procuretis. » Tam magno in pretio opera Thomae habebant, ut minimis etiam philosophicis carere quibusdam tractatibus, Parisiis

ab eo inchoatis, alibi completis in Italia, non pariterentur: « Datae epistolae sunt Parisius anno Domini 1274, die Mercurii ante inventionem sanctae « Crucis. » Insignitus littera Dominicali G. incedebat annus ille; unde « Mercurii dies, » seu feria quarta incedebat in diem 2 Maii ante diem tertium Crucis Sanctae inventae sacram. An ergo, cum Parisiensis Universitas per amplissimas epistolas tot laudum praecomis Thomam Aquinatem celebraverit, commendaveritque doctrinam ejus, et scripta, ipsa etiam philosophica; tribus post annis dogmata quaedam, et theologica et philosophica, quae tradidit ipse, tam acerba notare censura voluerit Facultas Theologiae? Id credat Jadaeus Apella.

## CAPUT III.

*Stephani Tempier iudicium ab altero Stephano de Bourretto Episcopo Parisiensi abrogatum, quatenus doctrinam Sancti Thomae tangebat, aut tangere aderebatur. Revocaturae praedictae litterae sunt genuinae, et vindicantur.*

Haud ego indicias iverim, articulos nonnullos in eadem censura legi, qui, litterae cortice spectato, in Operibus Divi Thomae, totidem fere verbis, reperiantur. Viri doctissimi sunt qui pro certo habent, longe dissito sensu damnatos eos esse a Parisiensibus eisdemque a Thoma scriptos traditosque: sunt alii vero qui existimant, unum vel alterum eodem sensu et ab Aquinate traditum fuisse, et abs Stephano Tempier damnatum. Thesis in exemplum adducunt, quam Capite superiore protulimus: « Quod « quia intelligentiae non habent materiam, Deus « non posset plures ejusdem speciei facere. » Utraque vigeat opinio in Parisiensi Universitate, aeo Stephani de Bourretto, qui in serie ejus Ecclesiae Episcoporum tertius hoc nomine appellatur, sedemque conscendit anno 1320 quam ad octavam Cal. Decembris anni 1325 tenuit, ut adnotat Monachi Sancti Mauri in Gallia Christiana. Doctoris sanctissimi famam audaculi quidam denigrabant, dogmata nonnulla vulgantes, quae pari verborum tenore tum in operibus Thomae legebantur, tum in censura Stephani Tempier praecessoris: quod aegre ferens Bourretus, re mature deliberata, priorem abrogat censuram, « inquantum tangit aut « tangere asseritur suam doctrinam Sancti Thomae. » Hinc satis utrisque factum, quorum alii nonnulla doctrinae Tomisticae capita per eam censuram « tangi » existimabant; putabant alii, ab aliquibus aemulis malevolisque perperam ac falso « asseri tacta, » longissimo tametsi intervallo differrent.

Revocatoriae litterae incipiunt: « Magistra rerum experientia certis indicibus evidenter demonstrata. » Datae vero sunt « apud Gentiliacum « anno Domini M. CCC. XXIV. die Jovis ante sacros cineres. » Stylo novo, civilis Julianus annus est 1325, quo pascha incidit in diem 7 Aprilis; dies cinerum in 22 Februarii, et « dies Jovis ante « sacros cineres » in diem 14 ejusdem Februarii, littera Dominicali F. currente. Hinc Didacum Alvarez in opere de Auxiliis disput. 3 notantem annum 1325, immerito castigat Petrus de Alva; castigandus ipse, qui pro sua inscitia vel oscitantia styllum veterem Ecclesiasticum non distinxit a stylo novo.

Quae dignissima sunt animadversione in eisdem litteris, jam profero. Haec vero habentur: « Dum siquidem memoriae felicis quidam praedecessores nostri Parisienses Episcopi quosdam articulos, ne forsitan eos male intelligentes caderent in errorem tamquam erroneos, per excommunicationis sententiam damnaverunt, et interdixerunt expresse: quorum tamen nonnulli doctrinam eximii Doctoris B. Thomae de Aquino de Ordine Fratrum Praedicatorum tangere ab aliis quibus asseruntur. » Praecessores illos Parisienses Antistes intelligit Guillelmum, et Stephanum Tempier. Jamvero animadvertit, articulos quosdam in eorum censuris contentos, pro innoxii reputari: eaque proscriptos ratione fuisse, quod pravo sensu intellecti vulgabantur: eosdem demum, vel eorum spectata littera, D. Thomae non attribui, « sed ab aliquibus » attributos « adseri. »

« Quam articulorum et sententiarum promulgationem Venerabiles Viri, Decanus et Capitulum Ecclesiae Dominae nostrae, sicut veritatis zelatores, intumescere considerantes; nec non doctrinae ac famae B. Thomae praedicti injustam denigrationem, veritatis occultationem, et S. R. Ecclesiae aequalem dehonorationem (pariter considerantes); per Venerabilem Virum Magistrum Annibalium Decanum Atrebatensem Archidiaconum Sacrae Theologiae Doctorem, et D. Petrum de Fagello Parisiensem Canonicum, eorum propter hoc nuntios ad nos specialiter deputatos, non requisierunt etc. » Quo loco notatos habes acmulos Divi Thomae, qui obtentu censurae abs Stephano Tempier latae, « doctrinam et famam ejus » injuste denigrabant. « Habes etiam, per hanc iniquam doctrinae Aquinatis denigrationem incommoda duo sequi posse, et « veritatis occultationem, » et aequalem Sanctae Romanae Ecclesiae, « quae ipsam inter Caelites retulerat, » dehonorationem. »

« Nos requisierunt, nobisque supplicaverunt: quatenus vocatis omnibus Sacrae Theologiae Doctoribus, et cum eisdem communicato consilio, et deliberatione habita diligenti, et cum aliis etiam qui de talibus et in talibus possunt, veritatis viam aperiremus: per quam in praedictis articulis, in quantum doctrinam B. Thomae Doctoris egregii tangere possunt, et Sanctae Romanae Ecclesiae et Sancti praedicti Doctoris Venerabilis honorem ac reverentiam servaremus. » Dogmata nonnulla ab Aquinate tradita per eam « tangi » censuram, putabant alii: non ita arbitrabantur alii, tametsi « tacite » tam « ea esse vulgarent acmulum. Itaque ad examen vocatum est, num articulorum damnatio « doctrinam Beati Thomae Doctoris egregii tangere » posset. »

Itaque « per Venerabiles ac dilectos Consiliarios nostros fideles, Magistrum Hugonem de Bisontio Cantorem Parisiensem, Magistrum Stephanum de Nova villa, et D. Odonem de Zenonis Canonicum Parisiensem, inquisitione facta super dictis articulis apud Doctores Theologiae Facultatis, in eorum Congregatione generali, Regentium et non Regentium, Saecularium et Regularium, ad hoc specialiter convocata. » Patet, iudicium, quo de agimus, non ad integrum pertinere Parisiensem Universitatem, sed ad « Facultatem » solummodo Theologicam. « Sed hanc Theologorum congregationem plura sunt quae spectabilem reddunt. Decanus et Canonici Parisienses promovenit negotium;

illudque adsumitur ab Stephano Episcopo, cum tribus « Consiliariis » spectatissimis Viris, quae de re generalis « Theologiae Facultatis » congregatio celebratur: inturque examen per Magistros, « Regentes » alios, seu actuales, aliosque non « Regentes, » seu emeritos, tam « Saeculares quam « Regulares, » ut momentum omne ferenda sententia habeat.

Tam seria ac matura habita deliberatione « compertum » denique « fuit; dictum Confessorem « Beatum et Doctorem egregium nihil sensisse seu « scripsisse, quod scientiae fidei vel bonis moribus « adversetur. » Luculentissimum sanae doctrinae ab Aquinate traditae elogium, celeberrimae Facultatis calculis omnibus comprobatum.

Nondum vero satis. Ad examen coetus nobilissimus procedit ipsius censurae abs Stephano Tempier latae: expediturque, num per ipsam Thomae doctrinam facta fuerit, aut merito facta a quibusdam jaectaretur? Pro eadem doctrina iudicium denique fertur: ipsaque censura, sive « tangat » eam, sive quidpiam contineat, quod occasionem acmulis dederit ut eadem « lata » adsereretur, irrita declaratur. Quae sequuntur, accipe verba: « De consilio « Venerabilium Virorum, Decani et Capituli Parisiensis, et Ven. Patris Domini Guillelmi Dei gratia Viennensis Archiepiscopi Sacrae Theologiae « professoris, et aliorum vincturum Magistrorum « in Theologia... nec non et trigintanovem Baccalaureorum in Theologia... et aliorum discretorum solemnium ac maturo consilio super hoc habito. » Numerum animadvertit, dignitatem ac praestantiam eorum, qui Thomae doctrinam, censuramque Stephani examine versarunt: « Supra dictam articulorum condemnationem, et excommunicationis sententiam, in quantum tangunt vel « tangere asseruntur sanam doctrinam Sancti Thomae praedicti et Doctoris eximii, ex certa sententia, « tenore praesentium, totaliter annullamus. » Partes duas distinguit: ac prima illa est, quae acmulum doctrinae Divi Thomae cohibentur, qui nonnulla ejus dogmata vulgabant per eam Parisiensem censuram confixa: pars altera ipsam censuram respicit, eamque irritam nullamque declarat, si quidem ipsa eandem tangeret doctrinam Thomae. Litteras easdem superius memoratas referunt integras « Carolus Duplessis d'Argentré » in Collectione iudiciorum de Novis erroribus Tomo I, pag. 222; et « Edmundus Martene » in Thesuro Novo Anecdotor. Tom. I, pag. 1372. In eisdem variantes aliquae occurrunt lectiones.

II. Tam egregium et insigne documentum, quo immunitas omni censura prouuntiatur S. Thomae doctrina, in dubium vocat Petrus de Alva in suo Nodo indissolubili: imo confictum a Patre quodam Praedicatorum illud esse, nullus dubitat. Praecipua, quae profert, haec sunt argumenta: I. Ab aerae vulgaris anno 1525, quo Stephanus de Bourreto litteras illas dedisse fertur, mentio earumdem occurrit nulla ad annum usque 1587 quo Joannes de Montesono in arduo negotio, quod cum Parisiensi Universitate habuit, doctrinae suae vindictam agens, praedictas litteras ex aera protulit, apud Fratres Praedicatores adservata. An illas, verae ac genuinae si forent, Universitatis archivum non servasset? An fratrum Praedicatorum aera una custodierit? An in fastis ejusdem Universitatis tum alium silentium? 2. Cum litteras has Montesono pro-

tulisset, suspicacionem invaluisse de figmento, testantur Monumenta ad ejusdem Montesoni causam spectantia: easdemque, veluti factas, receperunt eo tempore Doctores duo, Joannes Alanus, et Joannes Vitalis, Ordinis Minorum alumni. Scriptum namque reliquit ille in Tractatu de Conceptione Beatae Mariae Virginis: « Sed est verisimile, eos habere veram litteram Domini Stephani Episcopi Parisiensis, « quia iste damnavit plures articulos ejus ad sensum Sancti Thomae. Ideo nonnulli dicunt quod « littera ejus, quam ostendunt, ad subreptitiam est, « vel a veritate aliena. » Paria sunt alterius verba in simili de Conceptione Beatae Virginis Tractatu, quae descripsit Petrus de Alva ex Codicibus Bibliothecae olim Colbertinae. 3. Quae demum vel ipsae litterae figmentum indicant, propterea quod consona minime sunt quae profertur exempla. Sequentem clausulam habent aliqua: « articulos « ipsos non propter hoc approbando, nec etiam « reprobando, sed eosdem discussioni scholasticae « libere relinquendo; » quae in aliis desiderantur verba. « Flos doctorum » in aliquibus appellatur Sanctus Thomas: « Doctorum fontem » habent alia. In aliquibus demum editionibus praeter Stephani Bourretoi litteras, aliae prostant nomine « Universitatis Parisiensis » insignitae, quae sicuti fide nulla veterum inniuntur, ita veluti scilicet acta sic debent.

Egregias pro litterarum sinceritate vindictas egerunt Nostrates, Franciscus Janssens, Beroardus Guyardus, Seraphinus Piccinardus, alique quibus exterum addo, litterarum peritiae ac dignitatum splendore celeberrimum Virum, Carolum Duplessis d'Argentré, Sorbonicum Doctorem, et Episcopum Tutelensem, in collectione iudiciorum de novis erroribus Tomo I. Fatentur illi, fateor ego, laudatas revocatorias a Stephano de Bourreto datas litteras, prima vice coram palamque vulgatas in eo negotio fuisse, quod inter Joannem Montesonum et Theologos Academicos anno 1597 intercessit. Verum enimvero autographum ipsum exhibuit Montesonus, ac inde fido calamo transumptum apographum: quae de re publico Notario mandatum fuit ut instrumentum conficeret, suoque nomine, fide, ac juramento muniret. Sacrae Facultatis acta sic habent apud Jacobum Echaricum in Joanne de Montesono:

« In nomine Domini Amen. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter: quod « anno ejusdem Dom. M. CCC. LXXXVII. Indictione « X. Mensis Junii die 15. Pontif. SS. in C. P. et « D. D. N. Clementis divina providentia Papae VII. « anno 9, in Venerabilium et circumspiciorum Virorum Dominorum et Magistrorum... praesentia, personaliter constitutus venerabilis et Religiosus vir F. Joannes de Montesono... tenens « in suis manibus quasdam litteras, signo publici « notarii non signatas, sigillo Domini Stephani olim Parisiensis Episcopi; necnon Vidimus ejusdem « litterae, sigillo Domini Guillelmi olim Parisiensis Episcopi; eorum sigillis sigillatas... Et quia ego « Joannes Coustelli etc. »

Litteras hujusmodi Stephani Parisiensis Episcopi earumque apographum Guillelmi ejusdem orbis Antistitis munitum sigillo, illas esse de quibus agimus, infra constabit. Dicuntur « signo publici notarii non signatae: » quia ut adhuc mos est, sic olim in usu erat, litteris ejusque Episcopi ejus sigillo munitis fidem adhiberi sine testimonio publici Notarii sive Magistratus, ut verissime animad-

vertit Dargentraeus. Pars illa actorum, « necnon « Vidimus ejusdem litterae, » fucum Piccinardo alisque fecit, qui corruptum putavere locum, nuncum, et imperfectum. Aut latebat eos, aut fugit, vocem illam, « Vidimus, » pro apographo sumi consuevisse, quod viso et inspecto originali confectum esse, persona publica testabatur, Princeps, Episcopus, Magistratus, Notarius; ut adnotat Mabillonius Libro 1 de Re Diplomatica, Capite 7, num. 2 et 3, et Abbas Gottwicensis in Prodromo ad Chronicon Gottwici Tomo 1, libro 2, pag. 81. Rem eandem hujus aevi chartis et exemplis comprobatur Dueangius in Glossario mediae et infimae latinitatis. Testamentum accipe Philippi Boni apud Miraucum, in quo haec habentur: « Volumus denique, ut litteris publicationis, aut earum apographis, vulgo « Vidimus dictis etc. » sine actorum nostrorum conspicuus patet sensus: Joannem de Montesono Deputatis Theologis « praesentasse, » tum « litteras Stephani Parisiensis » cum ejusdem sigillo, tum earundem apographum transumptumque exemplum, Guillelmi pariter Episcopi Parisiensis munitum sigillo. Hunc vero « Guillelmum » intellige Stephani de Bourretoi successorem in Sede Parisiensis; nempe Guillelmum de Chanaeo, hujus nominis quintum, anno 1552, dum 13 Cal. Septembris. Quod instrumentum lectum in acta redegit « Joannes Coustelli » Notarius.

Ex utroque, litterarum Stephani exemplari, et apographo, desumptum ab ipso Joanne Coustello Notario aliud exemplum fuisse, Instrumentum docet quod sequitur, a Dargentraeo typis editum: « In nomine Domini Amen. Noverint universi, quod « haec est transumpta copia, sive exemplum, sumptum per me Notarium publicum infrascriptum « ex quibusdam originalibus litteris felicis memoriae Domini Stephani olim Parisiensis Episcopi; « nec non Vidimus (id est, ex apographo) ejusdem « litterae sigillo Domini Guillelmi olim Parisiensis Episcopi eorum sigillis, sigillatis, ut prima facie « apparebat, et signo alicujus Notarii publici non « signatis. Quorum tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis: Universis praesentes litteras inspecturis, Stephanus permissione divina Parisiensis Episcopus, salutem in omnium Salvatore. Magistra rerum experientia... Et ego Joannes Coustelli, Remensis Dioecesis Clericus, et publicus Apostolica et imperiali auctoritate ac venerabilis Universitatis studii Parisiensis Notarius juratus, praesens transcriptum ex dictis originalibus litteris sumpsi fideliter, et transcripsi; nihil addens aut minuens quod sensum immutet, aut variet intellectum; diligentemque de dictis originalibus cum discreto viro Aegidio Massardi, Clerico Atrebatensis Dioecesis, publico et imperiali auctoritate Notario, collationem feci; et quia utrumque concordare inveni, ideo praesenti publico instrumento, aliena manu scripto, me subscripsi, signumque meum apposui consuetum rogatus. Actum Parisiis, in domo habitationis ejusdem Notarii praefati, sita in vicu Nucum, anno Domini Millesimo trecentesimo octogesimo septimo, Indictione decima, Mensis Julii die tertia (15); Pontificatus Sanctissimissimi in Christo Patris ac Domini nostri Domini Clementis, divina providentia Papae septimi, anno nono: praesentibus « ad haec discretis viris, Magistro Nicolao de Souton Magistro in artibus, et Aegidio Imperatore

• Subhedeo Facultatis Theologiae, Parisiis com-  
morantibus, testibus ad praemissa vocatis et re-  
quisitis etc. »

Solemi publici Notarii ac testium rogatorum fide jam constat, abrogatorias laudatas Stephani de Bourretto Episcopi Parisiensis litteras a Joanne de Montesono « originales » exhibitas fuisse, simulque traditum apographum earundem exemplum, successoris Episcopi Parisiensis Guillelmi sigillo munitum: eademque fide rursus constat, novum desumptum descriptumque litterarum exemplum ex « originalibus » praedictis Stephani « litteris »; quae demum non una vice, sed ter « originales » appellantur. Ambigere de his, easque veluti ficticias rejicere si liceat, pereat humana fides oportet. Cur ergo in Archivio Universitatis Parisiensis, inquit, praedictae repositae ac repertae litterae non fuerint? Quidni existerent, reponam ego, et exiderint postea? Cur vero exstare debuissent, cum ad acta sacrae Facultatis Theologiae pertineant, non ipsius Universitatis, ut cum Dargentraeo jam animadvertimus: dataeque fuerint « apud Cantiliacum, » non Parisiis, nec « apud Sanctum Mathurinum, » nec « apud Sanctum Julianum pauperem, » nec alibi, ubi Magistrorum universitas congregari ad negotia peragenda sua consueverat? Ad rem egregie facit Egassii Bulaei exemplum, qui in Historia ejusdem Universitatis refert acta fere omnia in causa Joannis de Montesono: sed primum attamen jam allegatum hujusce causae instrumentum omisit, quod « in Regestis Universitatis (Jacobi Echaridi animadversio « est) forte non habeatur. » An illud, veluti falsum aut fictitium, idcirco rejicias? Inter summa vero Fratrum Praedicatorum negotia erat, ut Stephani de Bourretto litteras, quibus inlata dogmatibus Divi Thomae suspicio tolleretur, omnis, « originales » custodirent: quorum ex arca si tandem aliquando prolatae in lucem fuerint, miratio nulla.

Atqui dubiam earundem fidem, cum illas Montesonus exhibuit, habuisse Magistros, minime probant, ut ais, nec indicant monumenta, quae in ejusdem Montesoni negotio prostant. Quinimo eadem in causa cum frequentius protestati Academicis fuerint, doctrinam Sancti Thomae non solum se non impugnare, sed et summe venerari; satis indicio et argumento est, cognitae illis fuisse Stephani de Bourretto litteras, quibus Praecessoris Stephani Tempier censura, si Thomae quidem dogmata tangeret, aut tangere videretur, emollicebatur, aut illi quippe in Instrumento anno 1588, die 14 Februarii confecto: « Nos autem mil'esies diximus... qualiter S. Thomae doctrinam in dicta nostra « condemnatione, (contra Montesonum lata) « nequaquam reprobamus. » Negotium facessit nullum Joannis Vitalis et Joannis Alani auctoritas, qui revoatorias praedictas litteras ut rejiciant, veluti « parum verisimiles; » imprudenter fingunt. « Do- « minum Stephanum Episcopum Parisiensem, » a quo revoatorias anno 1525 datas litteras contendimus, unum esse eundemque ac Stephanum Parisiensem pariter Episcopum, qui « condemnavit anno 1277. « plures articulos, » nempe supra ducentos. Duos, ut par est, Parisiorum Antistes distinguunt, Stephanum alterum « Tempier » cognominatum, Stephanum « de Bourretto » alterum: ac omnis cum excogitato figmento difficultas evanescit.

Plurima posthac hujusmodi litterarum exempla prodire, quae absque ulla falsitatis suspitione a

Viris doctissimis allegata sunt: ipsaeque litterae frequentius Mediolani, Venetiis, Parisiis, Patavii, alibi, typis editae prostant. Interpolatorice manu foedata illa videntur exempla, ejusmodi est quod Bulaeus affert in Historia Universitatis Parisiensis, in quibus haec a jecta verba leguntur: « ipsos Articulos non « propter hoc approbando, nec etiam reprobando, « sed eosdem discussioni scholasticae libere relin- « quendo. » Haec vero interpolationis fortasse origo. Refert namque saepe laudatus Dargentraeus, Parisiensem Episcopum Stephanum de Bourretto, teste Bulaeo Centuria V. qui Joannis Baconis Angli testimonium profert, facultatem Parisiensium Magistris fecisse, ut de doctrina Sancti Thomae disputarent: idque permissum illis, antequam decretum ejus pro ipsius Aquinatis doctrina prodiret. Rem eandem indicat Bulaeus loco citato ad annum 1524, fide tamen non integra: ac si videlicet Antistes Parisiensis « impugnationem permiserit quorundam articulo- « rum a Thomae Aquinate colle- « ctorum. » Hinc facillime contingere potuit ut ea clausula, qua dicuntur « articuli, » qui Sancto Thomae tribuebantur, « disputationi scholasticae libere « relictis », in aliquid litterarum exemplum, interpolatoris cujusdam manu operam praestante, irreperet: quae tamen in aliis emendatoribus exemplis apud Dargentraeum aliosque desideratur. At ipso volente ac mandante Stephano de Bourretto, inserta ea verba fuerint. Non alium utique sensum efferunt, nisi Articulos illos, si quos docuerit Aquinas, censura nota sublata, libere in Scholis tradi ac propagari posse. Inde vero jam collige, laudatum Stephanum de Bourretto, qui Parisiensem Cathedralis Sedis initio non ita Stephanum Tempier litteras habuisse in pretio, quin articulos illos, quibus tangebatur aut tangi videbatur Thomae doctrina, liberae Magistrorum Doctorumque discussioni permitteret. Sed et antea, tempore Simonis de Buciaeo, qui Sedem eandem anno 1289 obtinuit, tenuitque ad annum 1504, Godefridus de Fontibus, insigne Sacrae Facultatis lumen, quaestione moverat Quodlibeto XII, quaest. 3, « utrum Episcopus Parisiensis peccet in hoc quod omittit corrigere « quosdam articulos a Praedecessore suo (Stephano « Tempier) condemnatos. » Proluxum referunt locum Echaridi in Elogio Sancti Thomae, et Dargentraeus Tomo I. citato. Pauca profero, quae sequuntur verba: « Sunt etiam in detrimentum « non modicum doctrinae studentibus periculis « Reverendissimi et Excellentissimi Doctoris, scilicet « Fratris Thomae, quae ex praedictis articulis « minus juste aliquid diffamatur ( quatenus « nempe doctrinam tangebant illi, aut potius tangere « adserebantur ): quia articuli suprapositi et « quamplures alii videntur sumpti ex iis, quae tantus « Doctor scripsit in doctrina tam utili et solempni. « Et ideo in hoc quod tales articuli tanquam erro- « ronei reprobantur, dicta doctrina etiam suspecta « a simplicioribus habetur, quia tamquam erronea « et improbabilis innotuit. Propter quod plures « possent habere occasionem retrahendi se a studo « in tali doctrina: in quo non solum ipsa doctrina « laederetur, sed et ipsi studentes vere damnati « maximum sustinerent. Quia salva reverentia ali- « quorum Doctorum, excepta doctrina Sanctorum, « et eorum quorum dicta pro auctoritatibus alle- « gantur, praedicta doctrina inter ceteras videtur

« utilior et laudabilior reputanda: ut vere Doctori, « qui hanc doctrinam scripsit, possit dici in sin- « gulari et illud quod Dominus dixit in plurali « Apostolis Math. 3. « Vos estis sal terrae etc. » « sub hac forma: « Tu es sal terrae: quod si sal « evanuerit, in quo salietur? ». Quia per ea quae « in hac doctrina continentur, quasi omnium Docto- « rum aliorum doctrinae corriguntur, sapidae red- « duntur et conduntur; et ideo si ista doctrina « de medio auferretur, studentes in doctrinis alio- « rum saporem modicum invenirent. » Quid unquam ad Aquinatis ejusque doctrinae commendationem dici illustrius potuit? Quod attamen elogium animadvertit a Viro prodire, qui plus nimio Doctori Sancto addictus dici nequit, cum inter eos numeretur, qui ejusdem sensa impugnantur.

Levissima sequitur vocem illarum, « flos Do- « ctorum, » dissonantia: quam opponi potuisse mirum est, ut de litterarum Stephani de Bourretto falsitate injiceretur suspicio. At, inquit, fictas dubio procul omni alias esse, nomine « Universitatis Parisiensis », eadem de re epistolas, quas cum laudati Stephani de Bourretto litteris junctas exhibent edita nonnulla exempla. Rem ego diligentius narro. Mediolani anno 1473, typis Christophori Valdarfer Ratisponensis prodit « Libellus... de « Veritate Conceptionis gloriosae Virginis Mariae, « cum Prooemio ad inelytum generosumque Comi- « tem Petrum de Gambara. » Nomen Auctoris abest, quem fuisse ignorat nemo Vincentium Bandellum de Castro novo in Dioecesi Dertonensi. « Petrum de « Vincentia » deceptus Dargentraeus appellat, « qui « Bandelli cognomen habebat. » Editum secundis curis hoc Opus Bononiae anno 1481, notat Dargentraeus: in quo praeter genuinas litteras Stephani ( inquit ) alias litteras « nomine Universitatis Parisiensis » refert Auctor: « quae ficticiae sunt, et « nostris majoribus incognitae. »

Doleo peccata plura a Dargentraeo admissa. Non unum idemque opus Bandelli est, quod anno 1473, et quod Bononiae anno 1481 prodit. Inscribitur illud, « Libellus recollectorius ( seu re- « collectionis auctoritatum ) de Veritate Conceptionis « etc. » Comiti Petro de Gambara nuncupatus. Titulum habet istud: « De singulari puritate et praerogativa « Conceptionis Salvatoris nostri Jesu Christi per « Fr. Vincentium de Castronovo etc. » in quo « disputatio continetur coram Hercule Estensi Fer- « rariae Duce in ejus Palatio facta. » In ipso praeterea opere anno 1473 typis edito, praeter epistolas Stephani de Bourretto, prostant « litterae Univer- « sitatis Parisiensis, doctrinam Sancti Thomae de « Aquino Ordinis Praedicatorum approbantes; » unde ante annum 1481, lucem eas non vidisse, error est Dargentraei. Candide fateor, hujusmodi litteras perperam « Universitatis Parisiensis » nomine insignitas, cum potius et calamo prodierint Doctorum quorundam Theologiae Facultatis. At fictas easdem procausae a Bandello, nimia fortasse confidentia putat Dargentraeus, adserit Petrus de Alva. Scite namque Piccinardus animadvertit, litteras istas in aliis denotari a Stephano datis per ea verba: « De consilio Venerabilium Virorum, Decani et « Capituli Parisiensis, et Ven. Patris Domini Gulielmi Dei gratia Archiepiscopi Viennensis, Sacrae « Theologiae Professorum, et aliorum vigintitrium « Magistrorum in Theologia, una cum Reverendo « Patre praedicto in litteris sub eorum sigillis per

« praefatos Commissarios nobis missis; nec non et « trigintanovem Bachelorum in Theologia, super « haec per litteras eorum propriis subscriptionibus « et sigillis munitas, nobis consulunt et rogan- « tium etc. » Litteras habes, alias Magistrorum in Theologia, alias Bachelorum, qui consulabant et rogabant, ut Stephanum habito consilio condemnationem articulo- « rum, in quantum tangant vel « tangere asseruntur sanam doctrinam Sancti Thomae, solempni judicio irritam nullamque pronuntiare. An vero mirabilis adeo res fuerit ut litteras hujusmodi delitescerent invenerit Bandellus, ac juris publici fecerit? At deceptus demum ille fuerit: fides minime notat litterarum Stephani, quas tot munitas praesidiis ostendimus.

Hinc vero integritati doctrinae, quam suis in operibus tradidit S. Thomas, luculentissimum testimonium accedit ex allatis laudati Stephani de Bourretto abrogatoriis litteris, quas in dubium vocare irritum voto et conatu severiores quidam critici homines volere. Hocce de argumento, Thomae doctrina cum articulis censura notatis comparata, iterum novis curis diligentissime agendum mihi erit.

## CAPUT IV.

*Censura quodam recensetur in triginta et octo ex Alberto Magno et Thoma Aquinate deceptas theses, quae saeculo XIV. lata dicitur, nomine Roberti de Bardis inscriptae. Rejicitur refelliturque Philippus Villanius.*

I. Ad examen postremo loco revocanda est censura quaedam, quae saeculo quattodecimo lata dicitur in triginta et octo theses ex Alberto Magno et Thoma Aquinate deceptas, nomine « Roberti de « Bardis » Florentini, et Cancellarii Parisiensis inscriptae. Hanc memorat Philippus Villanius in opere de Viris illustribus Florentinis « (le Vite d'Uomini « illustri Fiorentini: ) » quod primus et tenebris in lucem protulit Joannes Maria Mazzuchellus Brixianus, typis Io. Baptistae Pasquali anno 1747. Florebat Villanius anno 1545, et annum vidit 1465, eodem adnotante Mazzuchello. « In Vita « Roberti de « Bardis » haec narrat ille, latine reddita: « Theo- « logicae eruditioni addictus, Parisinam in urbem « et Academiam se contulit. Nomen et famam « subtilissimi Doctoris adeptus, Cancellarii munus « in studio Parisiensi annos circiter quadraginta « gessit. Ea pollebat ingenii perspicacia Vir cele- « berrimus, ut post Magistrum Sententiarum, reos « egerit de triginta et octo erroribus Albertum « Coloniensem et Thomam Aquinatem, damnarique. « Errorum catalogus in hodiernum diem servatur: « latamque damnationem nemo hactenus rejicere « ausus est. »

Christophori Landini, qui eodem saeculo XIV. floruit, ac paria narrat in Apologia Dantis et Florentinorum, testimonium addit laudatus Mazzuchellus: qui pro ea, qua pollet eruditione, doctrina, et crisi, candide fatetur, sibi valde hanc censuram nomine Roberti de Bardis inscriptam, suspectam esse; cum ejus nulla mentio occurrat apud Scriptores, quorum erat inter negotia, eandem recensere ac rejicere, vel etiam venditare. Silent vero Thomae Discipuli, qui amplissimas pro Aquinate vindicias adornarunt. Vincentius Baronius, Joannes Casalas, Seraphinus Piccinardus, Franciscus Sylvius, Xantes

Mariales, alique. Silet Caesar Egassius Bulaeus in Historia Universitatis Parisiensis, ubi dissidia quaeque inter Academicos exorta refert, ac plurima recenset quae ipsa Universitas aut Facultas Theologica tulerunt censoria iudicia. Silent illi qui minus aequa aut iniqua in Thomam et in Ordinem Praedicatorum scripta vulgarunt, Petrus de Alva, Petrus a Valle clausa, Joannes Baptista Poza, Joannes Launois; Casimirus Oudinus, alique hujus farinae homines. In calce quatuor de Sententiis Petri Lombardi Librorum, et Tomo XXV. Lugdunensis Bibliothecae Patrum, quamplures prostant latae Pasisis censurae: neque ullum occurrit in triginta et octo theses, veluti ex Alberto Magno et Thoma Aquinate decerptas, censorium iudicium. Vulgo quidem iactabatur, theses nonnullas Divi Thomae, aut Philosophicas aut Theologicas, abs Stephano Tempier Episcopo Parisiensi censoria virgula notatas fuisse: sed hanc abrogatam censuram anno 1525, ab Stephano de Bourretto ejusdem Ecclesiae Antistite, « quatenus tangebatur, aut tangere » assecebatur sanam doctrinam Sancti Thomae, superius adnotavimus. In causa demum Joannis de Montesono, quae magna animorum contentione anno 1587 agitata fuit. « Nos nullies diximus », inquietabant Parisienses Doctores, « qualiter S. Thomae doctrinam in dicta nostra condemnatione (contra Montesonum) nequaquam reprobamus: » eademque condemnatione quatuordecim dumtaxat articulos continet. Hinc « dubitandi locus est (Mazzuchelli verba « sunt) aut Villanii narrationem a vero abluere, » aut privato quodam iudicio scriptoque Robertum « de Bardis triginta et octo theses a Thoma pugnant improbase, quae minime ipsi arridebant. »

II. Strenue pugnanti Mazzuchello vires addere liceat, ut quae censura a Villabio obrudatur, penitus convellatur. Amplissimam Carolus Duplessis d'Argentré saepe laudatus in lucem protulit « collectionem iudiciorum (Ecclesiae, et insignium « Academicarum, inter alias Parisiensis, et Oxoniensis « etc.) de novis erroribus, qui ab initio duodecimi saeculi post Incarnationem Verbi usque ad annum « 1652, proscripti sunt et notati. » Sed inter haec iudicia vestigium nullum censurae in Vita Roberti de Bardis memoratae. Hujusce Viri gesta plura refert Bulaeus Tomo IV. Historiae Universitatis Parisiensis, et in Catalogo illustrium Academicorum, qui prostat in calce ejusdem Tomi, ubi haec habentur « Robertus de Bardis, Doctor in Theologia, « subscripsit anno 1552, determinationi Facultatis « Theologicae contra sententiam Joannis XXII, de « tarda visione beatifica. Idem anno 1556, factus « Cancellarius Universitatis. Obiit vero anno 1549, « cuique successit M. Joannes de Assiaco. » Ad annum 1545, Litteras Clementis VI. Summi Pontificis refert idem Bulaeus, datas « Cancellario Ecclesiae Parisiensis », qui « tunc erat, » eodem Bulaeo adnotante, « Magister Robertus de Bardis », ut promoveret ad gradum Magisterii Rogerium de Palhariis. Haec vero, non alia, ejusdem Roberti gesta in laudata Universitatis Parisiensis historia recensentur: eoque temporis intervallo, cum plures in erroneos articulos latae fuerint censurae, nulla occurrit quae Alberti Magni ac Thomae Aquinatis theses notaverit.

Dignum est animadversione, Robertum de Bardis in ea anni 1552, contra sententiam de tarda visione beatifica Facultatis Theologicae « determina-

« tione » subscriptum legi « Doctorem », nondum Cancellarium: quo tunc munere fungebatur Guillelmus Bernardus. Discimus vero ab laudato Bulaeo, munus istud ab anno 1549 administrasse Joannem de Assiaco ad annum 1560, Grimerium Bonifacii ad annum 1570, Joannem de Calore ad annum 1580, Joannem Blanchardum ad annum 1587, Joannem Guigueurtium ad annum 1587, Petrum de Alliaeo ad annum 1595, quo ipse Cancellarium ejuravit in gratiam Joannis Gersonis. Quorsum haec omnia? Ut liquido pateat, errorem propinari a Villano et Landino, qui Robertum de Bardis Cancellarii Parisiensis munere functum narrant annis quadraginta (« la quale Cancellaria governò circa « anni XL, » ait Villanius: « il quale fu Cancelliere « dello studio per lo spazio di quaranta anni », ait Landino); quo ex numero sex et viginti anni demendi sunt. Mortem obiisse Robertum anno 1549, testatur Bulaeus: non apparet emortualis annus in Codice Villani, quem publici juris fecit Mazzuchellus: hunc vero annum Christi 1592, definiunt Michael Pocciantius saeculi sexti decimi scriptor, et Hieronymus Negri. An ergo Robertus anno 1549, quem designat emortualis Bulaeus, potius Cancellarii munus abdicaverit? Praesto mihi non sunt monumenta, quae difficultas, si qua est, tuto expediunt. At si iudicium censorium in articulos erroneos (dixerim ego) inveniri nullum potest, quod Roberto de Bardis, dum Cancellarii munere fungebatur, pro ea tribuendum sit, qua potiebantur. Bulaeo adnotante Tomo IV citato, Dissertatione prima, Cancellarii Parisiensis facultate; jam eo fidentius adserendum videtur, haud unquam censuram aliquam, maximeque in Aquinatem inter caelites recens cooptatam, latam ab eo fuisse, veluti Doctore Parisiensi; qui poterat quidem pro data occasione in consilium vocari, sententiam ferre ac definitionem non poterat.

Quid est vero quod ipse « post Magistrum Sententiarum (dopo il Maestro delle Sentenze », ut ait Villanius), damnaverit etc.? An fuerit ipse, qui celeberrimi hujusce Auctoris naevos patefecerit, ac etiam notaverit? Ad « quatuordecim capita » eos revocat Sanctus Antoninus in Summa, Parte IV, titulo 11, Capita 8, et « sex supra viginti » numerantur in Additione ad ipsum Magistrum typis excusa, ut Bellarminus adnotat: ad hujusmodi animadversiones nemo haecenus Roberto de Bardis adjudivit. Quid est praeterea quod ipse « damnaverit triginta et octo errores, ex Alberto Magno « et Thoma Aquinate decerptos? » An solus ipse, an ab Antistite Parisiensi in consilium vocatus, an simplex Doctor et Magister, an Cancellarii munere fungens? Haec praeterit omnia Villanius. An solemnitas haec fuerit condemnatio? Sed acta publica et monumenta proferantur nulla. An privatum ipsius Roberti dici debeat examen et iudicium? Illud ergo Villanius nimium amplificat. Ait enim: « Fu di tanta autorità » (ampullatur nempe), « che questa erronea dannazione » (utique erronea, et damnanda ipsa condemnatio foret) « nessuno « poi ha ardito in alcun passo riprovare » (pergit ampullas nimia confidentia projicere Villanius).

Tot ergo vitii cum seateat narratio Florentini Historici; nullus dubito quin etiam cubet error in ea narrationis parte, quae latae censuram refert in triginta et octo Alberti Magni et Thomae Aquinatis theses. Fabellam ergo sciens et volens pro-

euderit Villanius, quam alii post ipsum eecinerit? Deceptus erravit: originemque erroris mihi videor detexisse. Paucis animadvertenda propono, quae latiore Sermone Capite 2 enarrata sunt: « Robertum de Kildwardbi » Archiepiscopum Cantuariensem in Anglia « triginta et unum », vel « triginta », ut alii numerant, anno 1277, damnasse articulos, quorum nonnulli philosophica Thomae dogmata enunciant: hanc censuram, tametsi ornatissimi Viri eam improbant, a Joanne Pekamo in eadem Sedem suffecto confirmatam esse anno 1284, et anno 1286 alios « octo » additos fuisse ab eodem Pekamo, damnatosque articulos, qui Thomae doctrinam de unitate formae substantialis in homine, ac inde deducta consecraria complectebantur. Naetus itaque fuerit Villanius manuscriptum quemdam Catalogum

« triginta et octo » hujusmodi articulorum: inscriptum legerit « Robertum », istius censurae, quod ad majorem articulorum partem attinet, auctorem: ipsumque denique cognomen « de Kildwardbi », aut difficili compendiarium nota scriptum, aut litteris evanescentibus obscuratum, aut praecipiti oculo lectum, mutaverit in cognomen « de Bardis », adeoque latam censuram illam a « Roberto de Bardis », dum Parisiis degeret, et Cancellarii fungeretur munere, crediderit. Quidni enim res ita se habeat? Articulorum « triginta et octo » numerus, « Thomae « Aquinatis » ac etiam Alberti doctrina in eisdem contenta nomenque « Roberti » qui censuram tulit, conveniunt: ac facile demum fuit, cognomen « de Kildwardbi » ob eas, quas inuimus, causas in illud commutare « de Bardis ». Haec satis.

### DISSERTATIO III.

DE INNOXIA SANCTI THOMAE AQUINATIS DOCTRINA, QUAE PARIENSIBUS ET OXONIENSIBUS CENSURIS PERPERAM ET IMPERITE ET PER INJURIAM NOTATA DIGITUR.

#### CAPUT I.

*Censura immune ostenditur Theologicum dogma de affluentiore dono gratiae, altis et aliis Angelis concessio, pro naturae eorum discrimine. Itemque de potentia Dei, quae ad unum qui conditus est, coactari mundum videtur.*

I. Censurarum historiam, quae plures in articulos abs sciolis quibusdam ambitiosisque hominibus vulgatos pugnatosque, praehabito Magistrorum in Theologia consilio, Parisiis et Oxonii latae sunt a Gallis et Anglis Episcopis, tertio decimo aerae christianae saeculo, diligentiore opera enarravimus superiore in Dissertatione. Censorias litteras illas, quae ab Stephano Tempier Parisiensi Episcopo anno 1277 datae fuerunt, cum per eas notata et confixa iactarentur non pauca Sancti Thomae, sive Philosophica, sive Theologica dogmata, supprimi, et aboleri jussit coepo saeculo insequente Stephanus alter de Bourretto ejusdem Ecclesiae antistes, « si Thomae » quidem « doctrina « tangenter. » Neque in haec iudicio haesit doctissimus Praesul; sed pro infectis revocatisque habendis esse litteras easdem, eo prudentissimo adhibito temperamento decrevit, « quatenus » eandem Sanctissimi Praeceptoris doctrinam « tangere adse-rebantur. » Abrogantes hujusmodi litteras loco memorato recensimus, notisque illustravimus: earumque, cum in dubium vocatae fuerint, fidem, et *suberitax* pro virili tutati sumus. Hinc vero nominis et famae et existimationis Thomae Aquinatis, ejusque doctrinae integritatis satis superque consultum, nemo prudens ac doctus inficias ibit.

Sed adhuc Praeceptoris Angelici ejusque doctrinae celebritati nonnihil studii nostri litandum est. Seligere nonnullos liceat praecipuos articulos censoria Parisiensium et Oxoniensium iudiciorum virgula olim notatos, adhibitosque contra Thomae doctrinam a Lamarcao, adhibitosque sequioris aemulis; eosque diligentissime conferre cum Thomae S. Th. Opera omnia. V. 7.

dogmatis iis, quae litterae cortice inspecto consona videntur; ut collatione facta, severoque instituto examine, splendidissime innotescat demum, nihil in ipsius Aquinatis doctrina inesse, quod vel 'ex levi etiam suspitione ad illas redigi censuras poterit.

Age vero; rem ipsam aggrediamur. In Censura Guillelmi Parisiensis Episcopi, nonus damnatus Articulus his verbis effertur: « Qui habet meliora « naturalia, de necessitate habebit (al. *habet*) « majorem gratiam et gloriam. » Tum opposita exponitur veritas: « Quod secundum praedestinationem et praedestinationem Dei, a Deo dabitur « gratia et gloria. » Errorum hunc ab Aquinate post ipsius Guillelmi censuram instauratum fuisse elamant, in 2. Distinct. 5; et I P. Qu. 62. Art. 6. et Qu. 108, Art. 4. Quo postremo in loco sic ait ille: « Angelis data sunt dona gratuita secundum capacitatem naturalium; quod non est in hominibus. » Rem hanc loco altero data opera pertractat: « Rationabile est, » inquit, « quod Angeli qui meliorem naturam habuerunt, et etiam fortius et efficacius ad Deum sint conversi. . . . Unde « videtur, quod Angeli qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia et gloria. » Quibus demum paria sunt, quae habet loco primo citato, Qu. 1, Art. 6, in fine.

Oculi sint oportet caligine obruti, qui longe discrepantes theses non vident: ac praedictorum tenebris infuscata mens fuerit, quae damnatum Articulum confundat cum Sancti Thomae doctrina. Absolute et universim angelos et homines complectitur Articulus damnatus: de Angelis dumtaxat loquitur Aquinas. Erroris juxta in eo positum est, quod « meliora naturalia, » sive Angeli sive hominis, tanquam dispositiones accipiuntur, quae proxime cum « gratia et gloria » proportionem habeant: ipsaque « gratia et gloria » conferri « de « necessitate » dicuntur juxta « meliorum naturalium » mensuram. Quam longe differt Thomisticum dogma! « Meliora » Angelorum « naturalia, » nonnisi ut occasionem quandam remotam respici